

## AD ARTICULUM XXIV.

facit indicium ad torturam, cùm nihil certi probet: Dubitatio namque & incertitudo vel ignorantiam, vel absentiam testis importat, ut ita contra eum sit præsumtio mendacii. Zanger c.2.num.26. & 27.p.793. de Tort. & Question. Justus Reuber. in Tract. de Testib. part. 3. num. 143. Carpzov. d. l. Quæ omnia rectè se habent, nisi contra depositionem unius testis quædam pro reo militant in contrarium; quando enim ea, quæ pro reo militant, elidere possunt depositionem testis unius, probatio non est semiplena, & consequenter locus non datur torturæ.

## ARTIC. XXIV.

*Ex indiciis nominatim hic expressis, ad non expressa,  
neque nominata, per comparationem argue-  
re licere.*

Daz man aus den nachgesetzten Anzeigungen / in urthe-  
nenden / und hierin unausgedruckten Argwohnigkeiten  
der Missethat / Gleichniß nehmen  
möge.

**M**uls diesen nachgesetzten Articulu / von Argwohn und Anzeigung  
der Missethat sagend/ soll in Fällen / so darinn nicht benant sind/  
Gleichniß genommen werden. Wenn nicht möglich ist / alle  
argwöhnige und verdächtige Fälle / und Umstände zu beschreiben.

AD ARTIC. XXIV.

## ARGUMENTUM.

*Ab illis indiciis, quæ in hac Sanctione expressa sunt, argumentum est  
deducendum ad illa indicia & præsumtiones, quæ expressæ non sunt, quoties  
paritas aut similitudo rationis hoc postulat.*

## EXEGESIS.

**R**atio hujus articuli posita est partim in *Impossibilitate*, quoniam fieri non potest, ut omnia indicia, præsumtiones, & circumstantiae delictorum lege queant definiri, quippe quæ ferè sunt infinitæ; partim in *rationis convenientia*, ubi nimirum est eadem ratio, ibi quoque est eadem Juris dispositio: adeoque à similibus ad similia licet argumentari, & ita ex paritate rationis leges ad similes casus producere. Vide Mantz. ad h. art. p. 105. & Blumblach. ad eund. p. 87.

ARTI-